



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XLVIII. S. Dentlini Sive Dentelini Resense collegium, in d. Coloniensi  
ad Rhenum Fluum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**



## CAPVT XLVIII.

S. DENTLINI SIVE DENTELINI  
*Resense collegium, in d. Colonienſi ad Rhenum  
 Fluum.*

**S** Dentlinus filius S. Vincentij Comitſ  
 Hannoniæ, & S. VValdetrudis, fertur  
 puer ſeptem annorum in albis mortuus. Ca-  
 nonicæ S. VValdetrudis inuocant eum in Li-  
 tanijs. Sed longè celebrior eſt apud Canoni-  
 cos Reſenſis opidi, in Cliuia, qui annuè eū ce-  
 lebrant die 14. Iulij; & hebdomadatim ferijs  
 ſecundis & quartis non impeditis. Embricæ  
 præterea parochia Sanctæ Aldegundis cele-  
 brat eum in choro, die decimo ſexto Martij.  
 Porrò matutinæ lectiones cleri Reſenſis me-  
 rita eius occultis Dei iudicijs committunt, &  
 magis verſantur in laude parentum. Sequen-  
 tia tamen inde deſumpta ipſum concernunt:  
*Postremò genuit Sanctus Vincentius Sanctum Dent-*  
*linum, patronum noſtrum glorioſum; qui in Chri-*  
*ſto renatus, infans migravit ad Dominum, vt de*  
*eo impleretur ſermo Dominicus: Sinite paruu-*  
*los venire ad me: talium eſt enim regnum cælo-*  
*rum. Et quod Propheta dicit: Ex ore in-*  
*fantium & lactentium perfecisti laudem. In*  
*huius enim mundi procellarum fluctibus diu*  
*quaffari nequaquam eſt permiſſus, vt de*  
*eo verè dicatur: Raptus eſt, ne malitia*  
*mutaret*



maturet intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius. Placida enim erat Deo anima illius; propterea properauit eum Deus educere de medio iniquitatum. Et infra. Sepultus est Sanctus Dentlinus honorificè in cœnobio Senegienti iuxta Beatum Vincentium genitorem suum, in locello auro, & argento, ac lapidibus pretiosis intexto. Quod cœnobi-um ipse Sanctus Vincentius eleganti satis construxit opere, & stipendijs ac possessionibus magnificè exornauit. Hæc Resenses.

## CAPVT XLIX.

MALBODIENSE COLLEGIVM Canonorum & Canonissarum in Hannonia.

**S** Aldegundis Virgo, in pago Haynoensi. ex regali Francorum profapia originem traxit, parentibus Gualberto & Bertilia. Cùm autem mater eam vellet illustri sociare coniugio, respondit se illum solum concupiscere, cuius prædia sunt cœlum, terra, & mare, cuius fundi & diuitiæ nunquam deficiunt. vnde à VValdetrude, quæ virginis soror nata maior erat, in Castri loco instructa, postmodum ad Sambra Malbodium monasterium construxit, & turbam sanctarum virginum congregauit; quibus prædia sua possessionesque tribuit, quas habebat in pagis, siue territorijs, Haynoensi, Laumensi, Suefsionensi Landunensi, Ostrebâto, Brachbanto, Riboariensi, & alijs. Cumque